



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

17. An si quis percutiat Clericum turpiter agentem cum sua sponsa de futuro, incidat in censuram? Et in §. 1. huius resolutionis apponuntur omnes personæ, cum quibus, si Clericus turpiter ageret, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

quis credat filium hoc ipso, quod Sacerdotio sit insignis sit juris sui fieri, ut in eum patris auctoritas omnis sit precepta? Episcopos quidem scimus, ut habetur in *Canone 20. disp. 54* sui juris esse: jus enim patrie potestatis soluit episcopalis dignitas: filios autem, sacrorum beneficio Ordinum, ab ea immunes esse non legimus: quare, si quid Sacerdos in vita, moribusque, sacra indignum persona, quam sustinet, peccaverit, à patre emendari, quamvis sit Sacerdos, quin possit, non ambigit de Graff. *lib. 2. c. 40. n. 36*. Hoc autem intellige, inquit, etiam si in percussione aliquis fuerit excessus, cum non possint verba semper suspendi in statera. Eandem sententiam sequuntur Sylvest. *excomm. 6. casu 8* Avila *part. 2. c. 5. disp. 23*.] Hucusque Baunius, & alij penes ipsum.

3. Verum ego, licet hanc sententiam affirmativam probabilem existimem, probabiliorem tamen puto negativam, quam, præter Molinam, Layman, & alios, tenet Castrus Palus *tom. 6. disp. 3. punct. 23. n. 8*. quia, ait ille, in *Canone, Si quis suadente*, omnibus generaliter prohibitum est, violentas manus in Clericum iniicere: at nullibi concessum est patri, correctionis gratia in filium in sacris constitutum manus in jicere violentas: quin potius colligitur, id expresse esse prohibitum ex dicto cap. *Cum voluntate*, per argumentum à contrario sensu; siquidem ibi conceditur patrifamilias punire, correctionis gratia, adolescentes in minoribus gradibus constitutos. Ergo tacite denegatur potestas puniendi, cum sunt majoribus insigniti. Deinde potestas concessa patrifamilias conceditur propinquis comparatione propinquorum, qui sunt in minoribus gradibus constituti, ut constat ex dicto cap. *Cum voluntate*, at propinquis non permittitur constitutos in sacris percutere: ergo nec parenti est permittendum Præterea ex eo, quod Sacerdotibus senioribus, aliisque ex officio deputatis concedatur, adolescentes pueros in minoribus constitutos turbantes divinum Officium, correctionis gratia, percutere, infert communis sententia, teste Molina *disp. 56. n. 6*. nullatenus permissum punire, si fuerint in sacris constituti: sed eadem restrictio, & limitatio pro patrefamilias facta est: ergo asserendum est, patrifamilias non esse permissum filios in sacris punire. Denique ob reverentiam sacri Ordinis non est permissum Prælati Episcopo inferioribus, per alium, Clericum corrigere: & casu, quo aliquando id necessarium fuerit, caveatur, ne fiat per laicum, sed per Clericum: quia indecens est, laicam manus violentas in Clericum in jicere, tamen si correctionis gratia fiat, regulariter patrefamilias laicus est: ergo credendum est, correctionem filiorum, saltem qui sunt in sacris constituti, ei prohibitam esse.

4. Nota tamen cum Leone *de censur. recollect. 5. num. 281*. nostram sententiam habere locum etiam in avo, si talis filius est in ejus potestate, ut præsuppono esse in potestate patris, nec ab ea liberari ob sacrum Ordinem: minime autem in aliis propinquis, sed nec matri, cum non habeat illum in potestate, & in eis major indecentie ratio cernitur, quam in patre, & avo.

RESOL. XVI.

An si quis percutiat Clericum turpiter agentem cum filia illegitima, incidat in censuram?

Et quid de filia adoptiva?

Et etiam de matre, sorore, aut uxore agitur in prædicto casu, & non solum in actibus primis, ut osculis, amplexibus, & similibus, sed etiam in colloquio suspecto, & secreto.

Imo hoc procedit, si Clericus turpiter infestet puerum pro nefanda libidine. Et par. 9. tract. 4. Rel. 33.

§. 1. Negativè respondet Hieronym. Garcias in *Summa morali, tract. 1. d. 3. dub. 1. punct. 4. n. 35*. sic asserens: [El quarto caso, que es de la censura, aunque no de peccados, quando uno halla a un Clerigo en flagrantí delicto con su muger, hermana, madre, o hija legitima, o ilegítima, uolando torpemente con ellas, y le sacude, o mata incontinenti, ita ille. Et ita etiam docet Raguccius *tit. de excomm. 9. 66. n. 30*.] *vase Eccles. discipl. ubi* sic ait: [Hanc excommunicationem non incurrit, qui percussit causa honoris, puta, Clericum turpiter inventum cum filia, sorore, matre, vel uxore, nam in his tantum quatuor personis non incurritur, c. si verò de sentent. excomm. & procedit non solum si Clericus, vel Monachus fuerit inventus in flagranti crimine; * sed etiam in actibus proximis, ut osculis, amplexibus, & similibus, & etiam in colloquio suspecto, & secreto. Imò procedit, etiam si Clericus turpiter infestet puerum pro nefanda libidine, imò procedit, ut non incuratur in percussione Clerici inventi cum filia, etiam illegitima.] Ita ille.

2. Sed ego puto, contrarium dicendum esse, non solum de filia illegitima, sed etiam de adoptiva, unde observat Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 1. n. 36*. & Turrianus *de cens. lib. 3. disp. 29. dub. 2. sic* asserens: [Circa matris nomine difficultas est, an illius nomine comprehendantur omnes ascendentes: Et affirmant aliqui, ut refert Toletus. Sed verius est, solum matrem intelligi, secundum proprietatem nominis, ut Toletus, & alij non pauci dixerunt: & eodem modo nomine filie non intelliguntur omnes descendentes. Item, nomine filie debet intelligi ea, quæ talis est per naturam, & non per adoptionem, ut notavit Suarez juxta Glossam communiter receptam in *c. cap.*] Itaque ex prædictis dicendum est, patrem percutientem Clericum turpiter agentem cum filia illegitima, vel adoptiva, incurere in censuram Canonis.

RESOL. XVII.

An si quis percutiat Clericum turpiter agentem cum sponsa de futuro, incidat in censuram?

Et in §. 1. hujus Res. apponuntur omnes personæ, cum quibus si Clericus turpiter ageret, & percussus fuerit, percussus non incidit in excommunicationem, & non solum si turpiter in actu fornicationis inveniantur Clericus, sed etiam si inveniantur vacans amplexibus, osculis, aliisque actibus turpibus, quinimo in loco suspecto.

Et quid, si in loco honesto Clericum loquentem cum uxore, & c. post trinam monitionem reperit maritus domi cum uxore solum loquentem si eum per 24. horas capitulum detineat, aut verberet?

Et in dictis casibus adductis in corpore hujus Resolutionis, an percussio incontinenti præstenda sit?

Et an Patri, filio, fratri, matre, & c. volenti interpretari Clericum in flagranti reperiunt, liceat alicui aliquid de causatione excommunicationis, quando alia via non potest illum avertere, consulere percussorem tantum, vel mitigationem?

Et notatur prædictos non posse per alios percutere Clericum turpiter agentem cum uxore, filia, sorore, & c. in tali casu tam mandans, quam percussus mandatus incurreret excommunicationem. Ex part. 9. tract. 4. Rel. 33.

§. 1. Supponendum est, quod Ius canonicum, ob difficultatem, quam agnoscit, temperandi dolo, rem, cohibendique impetum vindictæ in eo, qui videtur suam uxorem, matrem, sororem, aut filium turpiter

substitit, quippe perseverat in iuria illata, & honor la-
sus. Sed omnino contrarium dicendum est, videlicet,
percussione in supradictis casibus excusari, si fiat
incontinenti, & nō ex intervallo, ita Doctores citati.

5. Sed hic obiter quæro, an patri, filio, fratri, vel ma-
rito jam volenti interficere Clericum, ut supra, in fla-
granti repperit, liceat alicui absque incurfu excom-
municationis, quando alia via non potest illum aver-
tere ab hac intentione interficiendi dictum Clericum,
consulere percussione tantum, vel mutilationem: Et
respondeo affirmative: quia ex communi opinione
Doctorem licet absq; aliqua culpa consulere minus
malum, quod sit pars formaliter, vel virtualiter con-
tenta in malo majori, quod quis jam paratus erat per-
petrare, nec alia via ab ipso, ut dixi, adduci potuit: sed
vulnus, percussio, ac mutilatio est pars contenta in
homicidio: ergo. Et ita hanc sententiam, me citato, te-
net Leone de cens. recoll. 5. n. 339. afferens, in tali casu
consulentem non incurere censuram nostri Canonis.

6. Nota etiam cum dicto Leone, supradictos in tali
casu non posse per alios percutere Clericum inventum
turpiter agentem cum uxore, filia, sorore, &c. & in tali
casu tam mandans quam mandarius incurreret in
censuram: quia Ecclesia præsupponit, dictum dolo-
re, & passionem dictas personas non posse temperare, &
quod ideo percutiant: quæ omnia cessant, quando
intervenit tempus mandandi, & exequendi; & ces-
sante causa, ut est regula vulgata, cessat effectus.

7. Et tandem nota, quod dicitur turpiter agere cum
matre, uxore, filia, vel sorore, etiam cū qui amplexatur
dictas personas, aut similes actus cū iis exerceat: imo, ut
verberans excusetur, sufficit, quod reperiat solum cum
sola, loco & tempore merito suspectis, ut cū aliis docet
Nav. c. 27. n. 84. Quæ vera sunt, etsi maritus, sciens ve-
riturum Clericum clam se domi abscondat, ut ita reperi-
verberet modò absit dolus qualis esset, si curasset eum
ad dictas personas clam adeundas invitari. Addit cū
aliis Nav. maritum etiam excusari; qui post trinam
prohibitionē reperiret domi, etiam in honesto loco, cū
uxore solum loqueretur, si eum per vigintiquatuor ho-
ras captivum detineat, ut tradat suo Prælato: docet ta-
men incursum excommunicationem, si talem verbe-
raret: sed non satis consequenter: quia in *si vero, cit.*
non magis cōceditur detentio, quam verberatio. Quare
Sylvest. verb. *Excom. 6. n. 6. S. Detimō*, concedit etiam
excusari eum, qui talem Clericum verberat, quia *leg. si*
quis ei C. ad legem Iuliam de adulteriis conceditur ma-
rito ita reperi perimere, eò quod præsumatur turpia
tractare in e. autē. *Si vero*, videntur omnes dici turpi-
ter agere, qui in similibus casibus in iure civili per-
mittuntur occidi: quare hanc sententiam non impro-
babilem putat Suar. *disf. 22. sect. 1. n. 37* quæ omnia do-
cet etiam Coninch de *Sacr. disp. 14. dub. 15. n. 196.*

RESOL. XVIII.

An incurrat censuram maritus, si data opera se abscon-
dat, ut clericum adulterum inveniat cum uxore, &
illum occidat, aut percutiat?
Et notatur, quod non ob actum copula carnalis tantum,
sed etiam ob amplexus, oscula, & alia huiusmodi signa
propinqua operis nefandi expleti, vel explendi cum
uxore, matre, sorore, vel propria filia, &c. percutere
Clericum possit sine crimine, & excommunicatione.
Imo, satis esse, ut solus cum sola reperiat in loco suspecto,
accedentibus aliis circumstantiis, suspicionē, moventibus
Et an hoc extendendum sit ad sponsam de futuro, aviam,
aut neptem?
Etiamq; advertitur, quod si maritus procuraverit, ut Cle-
ricum vocetur ab uxore ad illam turpem actionem, &
sic eum percuteret, incurreret uterque scilicet tam uxor,
quam maritus, excommunicationem.

M E

pollui ab aliquo Clerico, excusatur ab hac excommu-
nicatione percussorem illius, uti habetur *cap. Si vero*
de sent. excomm. Nam esto in percussione lethale
peccatum committatur, adhuc ius canonicum, tum
in detestationem illius criminis, tum ob difficultatem
temperandi dolorē ex in iuria accepta cohibendi,
que vindictam, noluit percussorem excommunicatione
punire, ut tradit Glossa in *dist. 6. Si vero, verb. Turpi-*
ter. Censetur autem turpiter Ecclesiasticus agere,
non solum si in actu fornicationis inveniat; sed
etiam, si inveniatur vacans amplexibus, osculis, aliis-
que tactibus turpibus, quinimō in loco suspecto, ita
ut ex circumstantiis merito conici possit turpido.
Personæ verò, quibus Ecclesiasticus turpiter agere
inveniendus est, sunt uxor, mater, soror, aut filia per-
cipientis. Neque ad alias personas propinquas, con-
sanguineas, aut affines extendenda permissio est. Nā,
cum hac exceptio odiosa sit statui clericali, restrin-
gaturque privilegium Clericis concessum, non est ultra
personas expellendas extendenda. Tametsi Innocent. in
dicto c. Si vero in fine, ad neptem, & aviam privilegiū
extendat. Nomine verò matris, filia, sororis venit, quæ
sive propriæ est, non autem quæ solum per appel-
lationem: quare filia, aut uxor adoptiva sub nomine
filia, & sororis in hoc Decreto correctorio non con-
tinetur, bene tamen illegitima, quæ propriæ filia, &
soror est. Et tandem nomine uxoris intelligitur etiam
sponsa de præfenti, cum qua matrimonium iam est ini-
tum, quamvis nondum sit consummatum: & ideo
percussione Clericum turpiter inventum cum sua
sponsa de præfenti, non incidit in hunc Canonem.
2. His suppositis, difficultas est circa sponsam de fu-
turo. Et affirmative respondent Sanchez *lib. 1. disp. 1. n. 6.*
Molina *tr. 2. disp. 5. n. 5.* Layman *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8.*
Coninch de *Sacr. disp. 14. dub. 15. n. 196.* Turrian. de *cens.*
lib. 4. disp. 29. dub. 2. & alij, asserentes in nostro casu no-
mine uxoris non comprehendit sponsam de futuro, ita
ut sponsus percussione Clericum turpiter cū ipsa agē-
te, incidat in censuram Canonis. Et ita, præter Doctores
citatos, hanc sententiā tenet Rodriq. in *Sum. 10. c. 144.*
n. 18. ubi sic ait: [Y] si le halla fornicando con su esposa
de futuro, y le mata, solo el Pontifice le puede absolver
como lo tiene una Glossa, comunmente aprovada segū
Vivaldo. Ni obsta, que el, que mata al Clerigo, que hal-
la con su hermana, no queda descomulgado, porque si
este argumento fuera de alguna fuerza, no quedara de-
comulgado el dicho despolado de futuro, lo qual to-
dos niega, y lo niega tabié Covarruvias, que tiene cō-
tra nuestra cōclusion, ni es bastante la gran pena, que
recibe este despolado, para que le libremos de acudir
al Papa, pues el Derecho no le libra en este caso, y con-
dexa a su despolada satisfaze con mucha honra, dex-
ando a ella por mala, y al Clerigo por vellaco. Ita ille.
3. Sed, his non obstantibus, Madius in *tr. de sacr. Or-*
dinib. c. 17. n. 12. & Covar. de *spons. par. 1. c. 1. n. 11. ad*
fin. nomine uxoris intelligunt etiam sponsa de futuro,
& ex consequenti excusari, si fornicant cum sponsa
de futuro Clericum percutiat. Et hanc sententiā proba-
bilem esse putat Fragos. de *Rep. Chr. tom. 2. lib. 1. disp. 2.*
§. 1. n. 36. Sed ego non recederem à prima sententia.
4. Verum difficultas est, an in dictis casibus percus-
sio incontinenti præstanda sit? Alicui namq; probabi-
le videtur, excommunicationi non subici percussio-
nem, tamen si longo tempore post delictum contingat,
quia restrictio illa, quod percussio incontinenti fiat, ap-
ponitur in clausula antecedenti, ubi sermo est de defe-
sione propria. Ergo tacite indicatur huic clausulæ nō
esse necessariò accomodandam. Præterea hæc per-
cussio non est, quæ excusatur ob titulum defensionis,
sed ob difficultatem gravem temperandi tristitiam, &
dolorē ea in iuria conceptum, cohibendique vindi-
ctæ impetum. At hæc difficultas, etiam tràsacto actu,

Tom. V.

Sup hoc sup.
in tr. 1. Ref.
75. recitaret
in §. ult. &
in tr. 6.
ref. 46. si-
gnanter ad-
med. a ver-
te licet, & le-
ge etiam do-
ctinam re-
solution. &
§§. ejus not.

Quoad hoc
leg. §. ult.
ref. leg.

Sup. his sup.
in §. 1. huius
ref. ad med.
& in alio §.
eius not. & in
Ref. leg. §. 1.
ad lin. 8. & §.
Sed ego ad
med. veri.
Vnde.